

Cultori lethum vestro prohibete ; nefandum  
 Hoc potius miseræ mi prohibete malum .  
**Ille** petet cœlum victor , lætusque capeſſet  
 Quam ſibi jam meritis stravit ad astra viam ;  
**Me** duri miseraſ casus , me longa ſequentur  
 Damna Patris cari flebile diſcidium  
**Plorantem** , & crebris ſingultibus incendentem  
 Omnia ; nec memori longa dies animo ,  
**Nec** rerum ulla queat ſpecies objeſta novarum  
 Eximere hanc imo e pectore amaritiem ,  
**Quin** repetam laudum tot clara exempla fuarum ,  
 Illaque munificæ tot benefacta manus ,  
**Et** plenum Sophia pectus , Suadæque leporem  
 Ambroſium , & flumen divitiis eloquii ;  
**Quo** docet , humanas mira dulcedine mentes  
 Quo capit , & captas victor agit propere  
**Pulchram** ad virtutem : dignus cui vera monenti  
 Submittant animos extera regna fuos ,  
**Quem** populi , Regesque colant , quem laudet , ametque  
 Certatim hæc ætas , dein alia , atque alia .  
**Quem** ſi dura mihi rapiat mors ( ah , pater , atrum  
 Vanescat ventos omen in aerios )  
 Uſque vocem ; lucemque meo , noctemque dolori  
 Indulgens largis uſque fleam lacrimis ,  
 Hæc tua , depositum ceu cum flet mœſta parentem  
 Filia , regalem Roma ſoluta comam  
 Flevit . Nunc eadem lætanti pectore geſtit ,  
 Nec cohibet tacito gaudia clauſa ſinu ;  
 Festa ſed ornatis indicit plurima templis ,  
 Ingerit & ſanctis thurea dona focis ;  
 Atque bonis tanto grates pro munere Divis  
 Solvit ; læta piis cantibus aura ſonat .  
**Qualis** cum nimbum capiti ſuperimpendedem  
 Depreſſus magno veſtor in Oceano